



**R. P. Ildephonsi Peñafiel E' Societate Jesu, Quondam In
Cusquensi Collegio Sacrae Theologiae Primarij
Antecessoris ... Theologia Scholastica Naturalis**

Peñafiel, Alonso

Lugduni, M.DC.LXXIIX.

2. Objectio ex D. Paolo ponitur & dissolvitur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95871](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95871)

fecit nos : homo interior cognouit hanc per exterioris ministerium, ego interior cognoui hanc. Ego ego animus per sensus corporis mei : interrogavi mundi molem de Deo meo, & respondit mihi: Non ego sum, sed ipse me fecit. Nonne omnibus quibus integer sensus est, apparet hanc species? Cut non omnibus eadem loquitur? Animalia pusilla, & magna vident eam, sed interrogare nequeunt. Non enim proposita est in eis nuntiandis sensibus iudex ratio. Homines autem possunt interrogare ut inuisibilia Dei per ea quae facta sunt intellecta conspiciantur. Sed amor subdit eis, & subditi iudicare non possunt. Nec respondent ista interrogantibus nisi iudicantibus, nec vocem suam mutant, id est speciem suam; si alius tantum videat, alius autem videns interroget, ut aliter illi appareat, aliter huic: sed eodem modo utrique apparet, illi mutata est, loquitur: imo vero omnibus loquitur, sed illi intelligunt qui eius vocem acceptam foris intus cum veritate conferunt. Veritas enim dicit mihi: Non est deus tuus coelum, & terra, neque omne corpus, hoc dicit eorum natura. Vide, en moles minor est in parte, quam in toto. Iam tu melior es, dico tibi anima, quoniam tu vegetas molem corporis tui, praebens ei vitam, quod nullum corpus praestat corpori, Deum autem tuus etiam tibi vita est.] Quid clarius, & euidenti; unde omnes Patres Doctores Ecclesiae nostram veritatem amplectuntur; denique eodem modo sentiunt scholastici Sanctus Thomas, cum suis Thomistis Caiet. Ferrar. Capre. & alij moderni idem docent Alensis, 1. part. quaest. 2. Albert. in sum. part. 1. quaest. 17. Enriquez in sum. art. 22. quaest. 4. Marfil. quaest. 5. art. 1. Scot. Richard. & alij in 1. d. 2. & 3. qui fere omnes fundantur in verbis Pauli, de quibus etiam videri possunt ibi Toletus, & Pereira, qui constantissime hanc intelligentiam confirmant.

24 Confirmatur, nam rogo ab aduersariis quibus aliis verbis uti sacrae litterae debent praeter has quibus vtuntur si nostram sententiam tradere diserte, & clare sine explanatione vellent, nam quae ratione verba quibus vtuntur ad minus propriam significationem detorqueantur, detorqueri etiam possent quaecumque alia, quibus nostram sententiam explicarent, nam si cum hominem in scriptura lego, hominem intelligo; quoties materia non obstat, sed potius iuuat, cur in citatis locis euidentiā non intelligam? cum verba euidentiā sonent, nec materia repugnet, sed adiuvet ut proprietates verborum retineatur, alias nihil haberemus certum in tota scriptura.

25 Atque ex his patet non obstat adductas explanationes ab aduersariis, nam si Canon ille interpretandi scripturam ab August. traditus, & in Concil. Toletano vndecimo, & in Arausicano, maxime celebratus, & ab omnibus catholicis Doctoribus receptus [semper nimirum verborum proprietatem retinendam esse nisi auctoritas Doctorum, & ratio aliqua euidens fieri aliter cogat] ubique locum habere debet, hicque nihil impedit citata scripturae verba in sensu proprio, qui sonat euidentiā sumi, quid est cur ad extortas & praeposteras expositiones confugiendum sit, etenim non est satis ut à germano verborum sensu recedamus esse alia scripturae loca, in quibus eadem verba pro cognitione in euidenti accipiuntur: in illis enim materia de qua sermo est, palam coniungit euidentiā cognitionem ubi per ea non significari, cum tamen hic materia potius iuvet quando re vera ita est ut possit ex creaturis euidenter colligi esse Deum.

Accedit quod si quia in locis aliquibus scripturae aliqua vox variè vsurpatur & translatio in aliquibus, ideo in omnibus proprie accipienda sequitur nihil fere in propria verborum significatione dici, aut non posse certo constare nobis, quando per metaphoram accipienda sit vox, quae ratione magna quaedam aperitur ianua ad quoslibet errores asserendos, ac pracluditur ad repellendos illos, scripturae testimoniis, cum haec possint per metaphoram explicari, atque ita eorum vis eludi, exemplum sit, negat quis formatam mulierem ex Adae costa, educitur scripturae testimonium, ut conuincatur, responderet metaphorice accipi debere eo loco scripturae verba, quod eadem in aliis translationibus vsurpentur. Quod superest remedium? nisi ad materiam de qua ibi est sermo confugere, ostendereque nihil esse, quod ad recedendum à proprio verborum sensu cogat, ideoque illi standum esse: idem ergo erit in proposito, quo pacto intelligunt etiam Doctores Ecclesiae ut iam supra vidimus.

27 Sed rogas an censura, qua Deus Thom. & alij Patres dignam esse dicunt opinionem sustinentem demonstrari non posse Deum esse, tribui etiam debeat asserenti ex diuinis litteris non colligi demonstrari posse Deum esse.

28 Responde ut sub opinione positum est, notari ne censura debeat sententia negans demonstrari posse Deum esse an non? ita sub opinione cadere sitne censura dignus, an non? Negans ex diuina pagina posse colligi demonstrari posse Deum esse, qui namque ex illa colligi posse ait, imo & colligi si consequenter opinaturus est, dicere quoque debet censura dignum esse negantem colligi ex sacris litteris esse demonstrabile Deum esse, quia negat tradi à sacris litteris, quod reuera ille tradunt, ut enim censura dignus esset, qui vel concederet Christum esse hominem, negaret tamen id constare ex sacris litteris, quia negaret quod ipse aiunt; ita in proposito, nam propter quod vnumquodque tale, & illud magis, si enim negans demonstrari posse Deum esse, ideo censura dignus est, quia oppositum habetur ex sacris litteris, quanto magis dignus ille censura erit, qui negat id litteras diuinas tradere, quod reuera tradunt; atque hoc tam certum est, ut si caecus esset, nullus haereseos damnari vquam posset, qui enim fidei dogma contentum in sacris litteris negat, ideo negat quia negat tradi à diuinis litteris: ergo prius ratione saltē est negare haberi ex sacra scriptura, quam rem ipsam negare, negans vero in sacris litteris contineri quod reuera continetur, si censura dignus non est, nec rem ipsam negans dignus censura erit; cur enim aut qua de causa cum nihil asserat contra scripturam si contra illam non est negare eam ita docere: non ergo censura erit dignus, ac est: ergo.

29 Accedit hinc fieri ut res firmas, & statas de quibus ex scriptura nobis constet aut posse à nobis impune conuelli, aut in dubium vocari, aut certitudinis gradu quo illae necessario habendae sunt omnino de medio tolli, quo sublato nutatuum illarum assensum quis non videat.

SVSECTIO III.

Obiectio ex D. Paulo ponitur & dissoluitur.

30 Erte illud hoc loco difficultatem asserit, ut inquit Pereira, quod haec sententia Pauli de Philosophis, qui verum Deum cognoscere debuerunt,

runt, aut cognouerunt, videtur contraria esse alteri eiusdem Pauli sententiae, quae in 1. capite prioris epistolae ad Corinthios scripta est his verbis: [nam quia in Dei sapientia non cognouit mundus per sapientiam Deum placuit Deo per stultitiam praedicationis saluos facere credentes, quoniam & Iudaei signa petunt, & Graeci sapientiam quaerunt; nos autem praedicamus Christum crucifixum Iudaeis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam: ipsis autem vocatis Iudaeis, atque Graecis Christum Dei virtutem, & Dei sapientiam.]

31 Ex quibus hoc argumentum contra nos potest efformari: quia in hoc loco Epistola ad Corinthios. Docet Paulus mundum, id est mundanos homines sapientesque huius saeculi non cognouisse Deum, nec per sapientiam suam, id est solertiam, & acumen ingenij vel scientiam Philosophiae: nec in sapientia dei, id est in operibus eius, in quibus Beatus Iohannes sapientia, quibus consonat id quod Beatus Iohannes initio suae historiae euangelicae scripsit dicens, [In mundo erat, & mundus per ipsum factus est, & mundus eum non cognouit:] ergo ne sibi contradicat, & aduersetur Paulus, non est dicendum id, quod nos dicimus neque affirmandum, Apostolum loco supra citato, docuisse per creaturas evidentem cognitionem comparari.

32 Virgetur amplius, quia quae euidenter demonstrantur negari non possunt, sed multi, qui sibi sapientes videbantur esse, & Philosophorum rationes intellexisse negarunt Deum esse, ut referunt Lactantius lib. 1. de diuinis institutionibus, Cicero 1. de nat. Deor. Plutarchus lib. 1. de placitis Philosophi. & alij: ergo signum est, cognitionem illam deductam ex creaturis non esse euidentem, & demonstratiuam toto rigore; deinde virget P. Vasquez, quia ut homines ductu rationis teneantur assentiri Deum esse, non est necessaria demonstratio, alias pauci possent habere illum assensum, quia pauci sunt, qui philosophicis discursibus intendunt, & pauciores qui illorum vim penetrant: ergo non oportet intelligere Scripturam de cognitione euidente, sed de illa, quae ad operandum humano modo sufficit.

33 Ad locum Pauli exponens illum Caietanus his verbis respondet; [non dicit Apostolus hoc loco quod nullus ex hoc mundo cognouerit dei sapientiam, quoniam ad Rom. scribens dixit; quod deus à multis cognitus est; sed dicit quod mundus non cognouit Deum, quoniam Philosophi, qui cognouerunt Deum, agnitam veritatem dei in iniustitia detinuerunt, & sic mundus communiter non cognouit Deum;] sic ille, quod responsum his verbis elucidat Iustinianus noster in Paulum etenim ad Corinthios. ait, mundum non cognouisse, hoc est maximam hominum partem, quod verum est, etiam si pauci nonnulli Philosophi cognouerint, alijque cognoscere potuerint, cum praesertim illam ipsam dei cognitionem quam nonnulli assequuti sunt, multis erroribus, falsisque opinionibus infuscarint, ut ex Platone, aliisque Philosophis facile cognosci potest; Itemque ex iis, quae de Philosophorum placitis scribit, Plutarchus. Cum igitur multa de deo diuinitatis illi cognouerint euidenter attributa, merito censentur indigni excusatione, quia cum Deum cognouissent, aut facile cognoscere potuissent, non sicut Deum glorificauerunt: sic ille. Vnde, ut sententia haec Pauli, [quod mundus non cognouit Deum] sit vera, & sine vlla contrarietate, & antinomia, imo maximo amicitiae, aut concordiae, necessitudinisque vinculo copuletur, cum verbis

ad Roman. dictis sensus est plerisque mundanorum hominum non cognouisse verum Deum; tamen pauci aliquot Philosophi eum cognouerint; illi enim pauci, qui cognouerunt, comparati cum vniuersa hominum qui verum Deum non cognouerunt, multitudine, quasi pro nullis sunt habendi secundum communem hominum loquendi consuetudinem, quam sequi etiam solet diuina Scriptura, paucissimos vero fuisse hominum, etiam ipsorum Philosophorum, qui veram, & sinceram dei cognitionem habuerint, facile intelligit, qui opiniones de deo veterum Philosophorum legerit, & ideo etiam reprehendit Paulus ipsos, & inexcusabiles vocat, quia cum facillime potuissent ex effectis creatoris perfectionum sinceram cognitionem haurire, his non attendentes, ut debebant, tot tenebris errorum obnubilauerint, infuscauerintque proprias mentes.

34 Altera solutio huius difficultatis est, qua vitur Pererius super hunc locum Pauli; quam sequitur etiam P. Granado, & in hunc modum ab ipso traditur [duplex haberi potest dei cognitio, quantum vna est tantum speculatiua, qua cognoscitur deus esse, & mundi esse conditor, & rector: quae si nuda, & solitaria sit, infructuosa est homini, quin etiam nonnunquam ad maius ei crimen, poenamque imputatur. Altera est cognitio dei, praeter speculatiuam dei notitiam, iunctum etiam habens debitum animi erga Deum affectum, timorem dico dei super omnia, & venerationem, & dilectionem, & gratitudinem animi in agendo gratias pro acceptis ab eo beneficiis, eumque solum Deum adorando, & interno, atque externo cultu venerando; cultum autem idolotum, falsorumque deorum execrando. Haec cognitio appellari potest effectiua, & practica, quam non habuere Philosophi illi, quibus Deum esse cognitum, affirmat Paulus in epist. ad Rom. siquidem in ibi dicit eos, cum Deum cognouissent, non sicut Deum glorificauisse nec ei gratias egisse: ergo priorem illam notitiam dei speculatiuam habuere nonnulli Philosophi; posteriorem vero nullus sapientum huius mundi habuit, & de hac posteriore cognitione dei loquitur Paulus in epist. ad Cor. Enimvero Philosophi illi, qui Deum cognouerunt, ita se gesserunt externo vitae cultu, & in suis moribus, & sermonibus, factisque quasi non cognouissent Deum: non enim manifestabant eum aliis, nec externo cultu venerabantur, sed publicum vulgi errorem sequentes, simulacra falsorum deorum pro vero deo adorabant: quam ob causam dicti sunt à Paulo detinuisse veritatem dei in iniustitia. Sic ille.

35 Licet haec expositiones congruae videantur secundum corticem litterae, nihilominus tamen si medullam loci Pauli enucleemus, secundum mentem Sanctorum Patrum, alia adhiberi debet explicatio, quae magis congruat menti Apostoli, & euidentius soluat antinomial apparentem, quam notentibus opponunt aduersarij ut nostram veritatem emeruent quam clarissime trado, aduertendo (cum D. Ambrosio, Augustino, Tertuliano, & Chrysostomo, quorum verba infra in medium profectum) d. Paulum toto hoc primo capite loqui solam de reuelatione, per quam deus omnibus fidei delibus notam fecit diuinitatem Christi, pro qua hortatur Apostolus Corinthios fideles, tanquam pro ingenti, & maximo beneficio gratias agere deo: siquidem tot ethnicis sapientibus, tot Iudaeis relictis propria ignorantia de Christo subgnitionem de christi diuinitate consequi, eo quod Iudaei signa petebant, & Graeci euidentia naturali

argumenta requirebant ad constituendum Christum esse deum, ipsos è media plebe, tanquam omnium contemptissimos vtpote stultissimos, & insipientissimos elegerit, vt illis dirissimos huius sapientiae, quae ad Christi diuinitatem cognoscendam dirigitur, thesauros liberalissime tradiderit, in ipsosque magnificentissime profuderit.

36 Vnde cum in epistola Paulus loquatur solum de cognitione Christi, quatenus Deus est, & negat cum mundum cognouisse, manifeste sequitur, neque vestigium, aut vmbra contrarietatis reperiri inter hunc locum Pauli ad Corinthios, & inter locum eiusdem Apostoli ad Rom. siquidem in illa epistola, quando asserit Philosophos cognouisse deum per creaturas, solum loquitur de cognitione, non Christi, sed de deo secundum se, quod non negat in *epist. ad Corinthios*, sed potius confirmat quasi implicite, dicendo, Philosophos sapientes, Græcos eruditos, & Iudæos, qui euidenti cognitione intellexerant deum eo quod mediis euidentibus conuincebantur, Christum neglexisse, quia ad hoc nullum medium euidentis naturale ipsis proponebatur. Ex quibus euidenter patet, tantum ab esse, vt hæc loca inter se opponantur, nobisque officiant, quin potius maxime inter se cohereant, & nobis mirum in modum faueant.

37 Quod autem Paulus tota illa epistola loquatur de Christo, & de cognitione ipsius habenda solum per reuelationem diuinam, & fidem catholicam, patet ex verbis ipsius Pauli ibi [gratia vobis, & pax a deo patre nostro, & Domino Iesu Christo, gratias ago deo meo semper pro vobis in gratia dei, quæ data est vobis in Christo Iesu, quod in omnibus diuites facti estis in illo, in omni verbo, & in omni scientia, sicut testimonium Christi confirmatum est in vobis, ita vt nihil vobis desit in vlla gratia spectantibus reuelationem domini nostri Iesu Christi, qui & confirmavit vos vsque in finem sine crimine in die aduentus domini nostri Iesu Christi, fidelis deus per quem vocati estis in societatem filii eius Iesu Christi domini nostri]; ecce quomodo Paulus solum de cognitione Iesu Christi per reuelationem habita loquitur, & paulo infra docet hanc doctrinam non debere prædicari, aut persuaderi sapientia naturali, quia si hoc modo prædicaretur, nullomodo posset persuaderi, ratione cuius sapientes Græci solum quærentes ad persuasionem argumenta clara naturalia, non assensum tribuunt prædicationi, ac proinde incapaces se reddunt cognitionis Christi dei, verba Pauli hoc continentia sic se habent: [non enim misit me Christus Baptizare, sed Euangelizare, non in sapientia verbi, vt non euacuetur crux Christi, verbum enim crucis pereuntibus quidem stultitia est, iis autem qui salui fiunt, idest nobis dei virtus est, scriptum est enim, perdam sapientiam, sapientium, & prudentiam prudentium reprobo, vbi sapiens, vbi scriba, vbi conquistator huius sæculi? nonne stultam fecit deus sapientiam huius mundi? nam quia in dei sapientia non cognouit mundus per sapientiam deum, placuit deo per stultitiam prædicationis saluos facere credentes; quoniam, & Iudæi signa petunt, & Græci sapientiam quærent; nos autem prædicamus Christum crucifixum, Iudæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam, quia quod stultum est dei, sapientius est hominibus, & quod infirmum est dei, fortius est hominibus;] supra quæ verba sic ait D. Ambrosius, [perdit sapien-

I. P. Tom. II.

tiam sapientium, dum quæ illi negant posse fieri, facit, & reprobatur intellectum prudentium; cum deum quem incuriosum dicunt aggressum, probat ea, quæ stulta putant; vt Dei filius incarnatus de Virgine crucifigeretur, pro humana salute, quod factum vere testatur virtute, non verbis.]

38 Ecce quomodo Ambrosius aperte docet, Paulum loqui de cognitione Christi; vnde Augustinus *lib. 10. de ciuit. Dei* c. 28. [non enim (inquit) suam in eis perdidit, & reprobatur quam ipse donauit, sed quam sibi arrogat, qui non habent ipsius, & ideo non cognoscunt Iesum Christum] & ideo Propheta *Isaías* c. 29. 14. [peribit enim sapientia (ait) à sapientibus eius, & intellectus prudentium eius abscondetur]; Septuaginta veruerunt [& perdam sapientiam sapientium, & intellectum, seu prudentiam prudentum abscondam]; atqui ait Hieronymus in sacris litteris scriptum est, omnis sapientia à domino Deo est; quam igitur sapientiam abolendam dicit Propheta? ad vsum nimium humane sapientiae intelligit ipse Doctor maximus, quod etiam insinuat Clemens Alexandrinus *cap. 1. & 5. Stromatum*, qui eorum sapientiam reiciit docet, qui sibi nimium placentes, eo quod Christi diuinitas non euidenter demonstratur per media naturalia sibi naturaliter cognita, ipsum Christum despiciunt, eiusdem sectatores stultos appellantes, ratione cuius dixit Dionys. Areopag. *epist. 7.* [verum & ipse Apollonius diuinitis aduersus diuina nefarie viturum; nam per hanc rerum scientiam, quæ ab ipso Philosophia rite nominatur, & à Paulo beatissimo sapientia dei appellatur, ad authorem omnium (Christum videlicet) & eiusmodi quoque scientiae parentem oportebat viros Philosophos subuehi] quod clarius docuit D. Hieronymus in supradictum *Isaías* testimonium his verbis [non quod deus sit inimicus sapientiae eius pater est, & per quem omnis est in hominibus sapientia; sed cum additamento posuit, vt in Hebraico est sapientium populi, & prudentium illius; id est populi Iudæorum, & reuera grande miraculum Deus fecit in populo post aduentum domini Saluatoris, vt vno, atque eodem tempore arderet Ierusalem, templumque corrueret, & omnis Magistrorum scientia tolleretur, quæ opponendo se Christo abutebatur.]

Quid clarius ad nostrum intentum poterat excogitari? vbi Doctores hi Ecclesie maxime reprehendunt Philosophos, quia cognitionem de Christi diuinitate stultitiam asserunt, & illam abiiciunt, quia per naturalia euidentia media illam se comparare non posse vident: quomodo enim media naturalia ad obiectum supernaturale potest conducere cognoscendum? certe minime, quod his verbis docuit Chrysostomus [quoniam docuit ad suscipiendam Euangelij prædicationem, neque in sapientia quicquam positum esse prædij, neque enim periculum ab incircia ladi, & quod longe admirabilius est, quodque humane mentis, atque intelligentiae aciem fugit, imperitia longe est aprior, ac promptior ad fidem suscipiendam, quam sapientia; pastor enim, & rusticus citius eam suscipiet, & absque vlla disputatione sese Deo subiciet; sic ergo perdidit sapientiam, & aliquanto post, quid est autem stultam fecit? stultam ostendit ad fidem comprehendendam; quoniam enim ob eam se valde efferebant, & sibi placebant, eam cito refelli. Quænam est enim sapientia, cum bonorum caput non inueniat?

T

Fecit

Fecit ergo eam apparere stultam, quoniam illa prior seipsum redarguit. Si enim quando rationibus licebat inuenire, nihil ostendit nunc, quando res afferuntur maiores quomodo aliquid poterit efficere quando sola opus est fide, & non facundia; stultam ergo eam ostendit Deus. quibus consonat id, quod Leo Pontifex maximus docet *serm. 5. de nativitate*, cum hæc ipsa Pauli verba protulisset his verbis: [mundo ergo, id est prudentibus mundi sapientia sua cæcitas facta est, nec potuerunt per illam cognoscere Deum Christum Dominum, ad cuius noticiam, non nisi in sapientia eius acceditur, & in revelatione ipsius, & ideo quia mundus de vanitate sua hoc dogmatum superbiebat, in eo constituit Dominus saluandorum fidem, quod & indignum videretur, & stultum, ut deficientibus hominibus, opinionum præsumptionibus sola Dei gratia revelare, quod comprehendere humana intelligentia non valeret.] Sic ille [quomodo: ergo (ait Chrysostomus) per lutum cæcum curauit; ita etiam orbem terræ per crucem adduxit, quod quidem erat additio scandalum, non scandalum ablatio, ita etiam fecit in creatione per contraria confirmans. & instabiliens contraria; arena quidem certe mare munit in firmam validum, & forte frangens, aquæ terram imposuit efficiens, ut grauis, & densa verheretur à molli, & fluida per Prophetas rursus paruo ligno, ut ferrum in altum emergeret, & enataret, efficit; ita etiam cruce quoque orbem terrarum attraxit, quomodo enim aqua portat terram, ita etiam crux portat orbem terræ magnæ: ergo virtutis, & sapientiæ est argumentum persuadere per contraria.

Sic Chrysostomus. Ex quibus euidenter colligitur Paulum hic non loqui de notitia Dei, sed de cognitione Christi Domini quam mundani Philosophi non sunt assequuti, licet assequuti fuerint cognitionem Dei per creaturas, quia eadem media requirebant ad utrumque, quod est absurdum, quæ veritas patet ex ipso contextu, & ex illis verbis Pauli; nam quia in Dei sapientia non cognovit mundus per sapientiam Deum, placuit Deo per stultitiam prædicationis saluos facere credentes, quoniam & Iudæi signa petunt, & Græci sapientiam quærunt, ac si dicat Paulus, ideo non cognouisse Philosophos sapientes Deum, quia sapientiam quærebant, id est scientiæ, & euidentia media, per quæ conuincerentur ad Deum cognoscendum; atqui si loqueretur Paulus de cognitione Dei, facile erat tribuere sapientibus media euidentia, scilicet illa, quæ tradidit Romanis dicens, inuisibilia enim ipsius per ea, quæ facta sunt intellecta conspiciuntur; Neque poterat dicere Paulus, non cognouisse Deum, quia sapientiam inquirebant, hoc est euidentia demonstratiua media; cum potius per ipsa perueniatur facillime ad cognitionem euidentem Dei: ergo si inquit euidentia media non conducere, imo impedire ad cognitionem Dei, euidentem est loquutum fuisse, non de Deo, quatenus Deus est, quia sic maxime cognoscibilis est per euidentia media, sed de Christo, ut Deo, ad cuius cognitionem non peruenitur per media naturalia euidentia, sed per revelationem ipsius, ut docet Chrysostomus ex ipso Paulo, neque ad cognoscendum Deum poterant requirere Iudæi signa, & miracula quia ad id, quod euidenter potest cognosci per lumen naturæ non sunt necessaria signa, & miracula; quapropter quando Christus dominus prædicabat Iudæis Deum dari in cælis, non quærebant signa, & miracula, quia hoc euidenter cognoscebant, & iam diu tanquam vetus pro certo habebant ut

pote acceptum à Moyse & à Prophetis; solum enim petebant signa, & miracula à Christo, quando aliquid nouum, & illis inauditum prædicabatur; quale erat ipsum esse Deum, & Filium altissimi; tunc enim dicebant, Magister volumus à te signa videre: ergo si D. Paulus ait, Iudæos ad cognitionem Dei petere signa & miracula, euidenter sequitur non loqui Apostolum de cognitione Dei, ut Deus est, quia hanc libenter admittebant Iudæi, sed potius de cognitione Christi ut Dei, quod Iudæis nouum, inauditum, & scandalosum videbatur; unde concludit Paulus dicens, nos autem prædicamus Christum crucifixum; ergo de cognitione Christi crucifixi in hac epistola ad Corinthios, loquitur Apostolus, ad quam ostendendam plura miracula edidit Christus, quibus visis, adhuc alia signa quærebant, quia obdurata mente præsentibus conuicti ad alia de nouo faciendâ appellabant, quasi vellent exhaurire omnipotentiam diuinam, quæ exhausta non possent alia de nouo miracula fieri, ut sic possent ipsi paruipendere mysteria diuinitatis Christi, quæ iam de nouo, ac deinceps non possent miraculis, & signis demonstrari; quibus subterfugijs euadere contendeant certitudinem nostræ fidei; unde irritans Paulus tum Græcos sapientes, tum Iudæos pertinaces, & obduratos illos, quia media euidentia naturalia ad Christum Deum cognoscendum requirebant, istos quia adhuc post tot miracula patrata, quasi illa non sufficerent, alia de nouo petebant, ita ait quando nos prædicamus Christum crucifixum, Iudæi signa petunt, ac si Lazarum resuscitatum non vidissent ab ipso Christo, & alia miracula maxima in confirmationem huius doctrinæ experti non fuissent, & Græci sapientiam quærunt, ac si obiectum supernaturale posset cognosci per media scientiæ naturalia.

Obseruat hoc Chrysostomus incredibilem fuisse Pauli Apostoli sapientiam, qui mirifice ostendat quomodo Deus singula singulis rite opposuerit; nam quoniam Iudæi signis ac prodigijs addicti erant, neque de Dei potentia diffidebant, ac propterea signa quærebant, qualia olim viderant, audita cruce, & morte Christi, quod erat imbecillitatis argumentum tantum abest, ut diuinam fidem animo conceperint, ut magnopere potius offensi fuerint; atque illis quidem Christi crux non modo non est signum, sed signi peremptio, & non solum videtur esse offensio virtutis, aut potentis, sed etiam probatio imbecillitatis, itaque vere dicit Paulus: nos autem prædicamus Christum crucifixum, iam quoniam Græci nihil præ sapientia magni faciunt, cum in euangelica prædicatione audiunt Dei filium pro hominum salute in crucem fuisse sublatum, & id genus alia multa humana fide maiora, quæque omnem philosophicam rationem longe superant meras nugas, & fabulas putant; quo circa Paulus ait Christum crucifixum Græcis esse stultitiam, apte vero utrumque dicitur; nam Iudæi diuinæ, ac supernaturali fidei afflicti, qui multa supra naturam à Deo facta esse non ignorabant, nihil poterant alienum à ratione iudicare; quod diuinum factum esse crederent; de re igitur ipsa dubitabant, nec absque signo, ac prodigio libi persuaderi patiebantur, cum quem ipsi quasi legis euerforem in crucem egerant Dei esse filium, & humanæ libertatis vindicem, & assertorem; Græci vero quidquid de Christo Christiana fides sentendum proponit, proorsum absurdum, atque à ratione alienum putabant; ut autem eorum aperiret oculos, ait Paulus, nonne stultam fecit Deus sapientiam

Quæst. I. Vtrum dem. poss. Deum esse. 147

sapientiam huius mundi, id est stultam ostendit, sic enim in creatione stultum ostendit Deus illud axioma philosophicum, ex nihilo nihil fit; sic in incarnatione stultum ostendit illud, Deus corpore, loco tempore claudi nequit, in passione illud Deus pati, & mori non potest; tandem in Eucharistia ostendit stultum, accedens non potest esse sine subiecto, corpus nequit esse in puncto, duo corpora non possunt esse in eodem loco, licet hæc naturæ non tamen Deo possible sunt: ergo loquitur Paulus non de cognitione Dei ut Deus est, sed de Christo ut Deo.

39 Ad confirmationem illam optime respondet P. Suarez his verbis [respondeo primo non negasse veritatem hanc demonstratam, nisi qui attente illius demonstrationem considerare noluerunt, aut non potuerunt, vel ex defectu doctrinæ & ingenij, vel ex aliqua nimia cupiditate, qua præsertim obcæcantur politici nostri temporis, qui in atheismum declinant. Secundo dicimus non omnem demonstrationem esse æque facilem, & notam; aliqua enim est vera demonstratio quia, quæ de se intellectum bene dispositum convincit, non est tamen tam clara, quin proterus possit resistere, semper tamen hoc provenit ex aliqua cæcitate mentis nolentis ponderare vim præmissarum, vel illusionis; unde Nazianzenus, *orat. 2. Theolog.* [nimis inquit] absurdus, & præposterus est, qui non cedit argumentis naturalibus evidentiis utique, & inficiatur Deum esse] ecce Nazianzenus, in quo maxime fidebat P. Vasquez evidentiis omnibus contra ipsum loquitur, unde ex his verbis, quibus se explicat sanctus hic Doctor & ex his verbis, quibus quam supra adduximus *subsect. 1. prope initium illius*, ubi varios Doctores citauimus, inter quos ipsum Nazianzenum, verborum, quæ profert ipse Nazianzenus *orat. 34. q. 2. de Theologia*, satis aperte liquet nullum Doctorem reperiri, qui faucat opinioni contrariæ.

40 Ad alteram confirmationem respondemus 1. ideo Deum prouidisse vt homines fide potius quam naturali discursu ambulant, quia ille infirmus est, & non potest omnibus esse communis. 2. dico, fingamus homines in pura natura sine fidei reuelatione necessarium fuisse, vt vulgus hominum ignorantium, & simplicium crederet suis maioribus; quod in hac veritate esset facillimum, & conueniens, facile quidem, quia licet non posset omnibus res esse perfecte nota, tamen ipsa veritas proposita cum aliquali declaratione ex effectibus notissimis est per se credibilis, ac valde probabilis; conueniens autem esset, quia in re tam graui non expediret, vnumquemque de populo duci suo solo iudicio, & apparenti verisimilitudine; oportere ergo sapientibus, & maioribus fidem habere, talis autem fides remote niteretur in certa assertionem aliorum quæ non posset esse ita certa, nisi esset etiam euident.

SVBSECTIO IV.

Solutio Patris Gillij in verbis Christi Domini Ioannis 17. fundata diluitur, ac refutatur.

41 Pater Gillius *lib. 1. tract. 8. cap. 5. §. dixi autem;* volens fugere vim verborum Pauli pro nobis adductorum ad probandum Dei cognitionem esse euidentem ex creaturis præcipue illorum, manifestauit, conspicuntur; sic ait, illa vero videri, manifestari, *P. Tom. II.*

festari, conspici non necessario inferunt assensum euidentem, non manifestare; hoc enim accipitur in scriptura etiam pro manifestatione ineuidente; imo & quæ solam opinionem gignat; nam Christus dixit *Ioann. 17.* [Pater manifestauit nomen tuum hominibus] verbum autem videri etiam abstrahit à quouis genere notitiæ euidentis, & ineuidentis, nam de uisione per fidem dixit Christus *Ioann. 14.* [Philippe qui videt me, videt & Patrem:] sic Gillius;

Quam solutionem, licet meo videri, euidenter supra refutauimus, *sect. 2. à §. sed contra solutionem horum, usque ad subsectionionem 1. ex decreto Concilij Tridentini*; nihilominus in specie & in particulari sic eam labefacto, probando Christum Dominum euidentia in attestante, quæ rigorosam euidentiam in rem attestatam refundit, manifestasse nomen Patris, ac proinde Christum, ad significandam eam euidentiam vltim fuisse verbo, manifestauit, quæ claritatem, & euidentiam denotat: ergo male se protegit Gillius tali loco ad probandum verbum, manifesto; quo vitur Paulus, aliquando in scriptura significare non euidentem, sed obscuram cognitionem, qualis est cognitio fidei.

Quod autem Christus euidentia in attestantem manifestauerit mysterium Trinitatis, ac proinde excellentiam Patris, patet manifeste, quia Christus sapissime ostendebat, se esse Deum, aut minimum nomine Dei loqui referendo secreta cordium illorum, vt patet *Lucæ 11.* ipse autem vt vidit cogitationes eorum, dixit eis; &c. & *Matth. 9.* cum vidisset Iesus cogitationes eorum, dixit vt quid cogitatis mala in cordibus vestris; quid est facilius dicere dimittuntur tibi peccata, an dicere; surge, & ambula; &c. & *Lucæ 5.* vt cognouit autem Iesus cogitationes eorum respondens, dixit ad illos; quid cogitatis in cordibus vestris, &c. *Matthæi 12.* Iesus autem, &c. ergo euidenter ostendebat, se loqui verum in omnibus, quæ docebat; patet consequentia, quia Deus, vt postea demonstrabitur tota hac disputatione, nullo modo potest mentiri, aut mendacium dicere propter imperfectionem mentiendi, quæ non potest in Deum cadere; sed Christus est Deus: ergo euidenter colligitur, verum dicere, & non mentiri. Tunc sic omnis propositio, aut loquutio vera necessario infert eo modo esse obiectum quo significatur per illam: ergo si Christus dicebat, dari Patrem & mysterium Trinitatis prædicabat: ergo euidenter sequitur ex hac euidentia in attestante, vere dari Patrem, & vere reperi mysterium Trinitatis; sed loquens Christus Dominus de hac manifestatione nominis Patris per euidentiam in attestante, dicit se manifestare Patrem, & vsus est verbo, manifestandi: ergo verbum in hoc loco *Ioannis 17.* non significat cognitionem obscuram sed claram, & euidentem: ergo male assertit Gillius dicens in hoc loco verbum manifestare, significare solum cognitionem obscuram fidei.

Quod autem ex manifestatione secretorum cordium sequatur Deum esse qui loquitur, sic patet, quia euidentem est lumine naturæ & in fide sanctum non posse vllam putam creaturam cognoscere secreta cordium, & reuelare illa, ac proinde proprium esse Dei talia secreta reuelare; sed Christus Dominus, vt iam dixi, reuelabat secreta cordium, & ipsis cogitantibus quorum secreta cordium referabat euidentem erat; talia secreta propria à Christo reuelari: ergo euidentem illis erat, Christum talia reuelantem, & referantem Deum esse & auctoritate diuina loqui. Maior est clara, vt

T z pater